

accitis in operis subsidium viris, rem totam alacri assiduoque studio ita perfecere, ut novus Index ceteris iis qui praecesserunt non solum longe emendatior appareat, sed et expeditioris usus, omissis libris non ita paucis, quorum proscriptio, olim necessaria vel opportuna, hodie vix non inutilis evasit.

Huiusmodi igitur librorum prohibitorum generalem Indicem, iussu Nostro recognitum et emendatum, ac typis vaticanis impressum, quem tamquam litteris hisce expresse insertum haberi volumus, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, atque ab omnibus ubique locorum integre et inviolabiliter observari praecipimus, sub poenis in Constitutione Nostra *Officiorum ac munerum* sancitis. Mandantes omnibus locorum Ordinariis, itemque regularium quorumcumque superioribus, omnibusque aliis ad quos spectat, aut in futurum spectabit, ut eundem Indicem vulgandum et observandum pro viribus curent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII Septembris MCM. Pontificatus Nostri Anno Vigesima tertio.

ALOIS. Card. MACCHI.

LECTORI S.

EN TIBI, egregie Lector, novum Indicem librorum prohibitorum ex praecepto SS. D. N. Leonis XIII P. M. diligentissime recognitum et publicatum.

Vulgantur autem una cum syllabo librorum vetitae lectionis etiam Constitutiones Apostolicae Sedis, quibus examen et proscriptio pravorum librorum in praesenti regitur: videlicet Constitutio « Officiorum ac munerum » a SS. D. N. Leone P. M. die 25 ian. anni 1897 promulgata, et Constitutio « Sollicita ac provida », qua Benedictus XIV die 9 iul. anni 1753 certas firmasque regulas tum a romana et universali Inquisitione, tum a S. Congregatione Indicis in examine iudicioque librorum servandas statuit.

Quod ad hanc Constitutionem Benedicti XIV attinet, constat eam non tam ad fidelium universitatem pertinere, quam ad eos quibus onus examinandi libros ad S. Sedem delatos est impositum.

Alio spectat Constitutio Summi Pontificis feliciter regnantis, qua « abrogatis regulis sacrosanctae synodi tridentinae » nova quaedam Decreta generalia eduntur, « quibus catholici homines toto orbe religiose pareant ».

Inter haec Decreta generalia porro et ipsum Indicem haec est convenientia: Utraque eo pertinent, ut doceant, a quibus

libris legendis retinendisque sit cavendum. Aliter tamen Decreta generalia huic fini inserviunt, aliter ipse Index. Nam Decreta generalia quam plurimos, et vix non omnes noxios infectosque libros prohibent, quorum ceterum lectio ipsa naturae lege ut plurimum vetatur; Index vero illorum partem tantum, eamque minimam, recenset atque notat. — Decretis sola librorum pravorum genera et classes, Indice vero singuli libri expresso cuiusque titulo immo et auctoris nomine proscribuntur.

Ex quo intelliges, admodum errare eos qui existimant, omnem quaestionem de libris improbatæ lectionis ex solo Indice definiri, quasi ex innumeris perversis perniciosisque libris, qui per saeculorum cursum editi sunt, illi tantum prohibeantur, qui per peculiaria decreta damnati, in catalogo librorum prohibitorum recensentur. Nimirum ut libri alicuius lectio licita dici tuto possit, haec duo constant oportet: scilicet neque adscribi in Indice vetitorum librorum, neque contineri aliqua ex iis classibus, quae per Decreta generalia universim improbantur aut damnantur.

Liquet hinc imprimis quae sit Indicis propria indoles, et quo sit consilio excogitatus et concinnatus. Etenim non eo librorum prohibitorum catalogus pertinet, ut omnes et singulos noxios libros recenseat. Quod neque fieri posse patet, neque, si Decretorum generalium ratio habeatur, necessarium esse dignoscitur. Accedat ergo oportet ratio peculiaris, cur romanae Congregationes librum in illis classibus, quas Decreta generalia recensent, iam inclusum, per speciale decretum atro calculo notent. Talem rationem iis praebent plerumque denuntiationes, quibus sive Episcopus sive alius quilibet eorum de quibus Constitutio « Officiorum ac munerum » nn. 27, 28, 29 agit, librum aliquem tanquam exitiosum vel periculosum ad

S. Sedem examinandum defert. Tali ansa arrepta, non autem consilio inter universa scripta pravius quodque eligente; S. Sedes etiam ut plurimum inducitur ad examinandos alios libros qui Decretis generalibus non continentur. Quare abs re omnino foret, in Indice vel omnes noxios pravosque libros, vel certe eos quaerere, qui in quovis disciplinarum genere pravitate quasi eminent, vel denique postulare, ut libri in Indice certo ordine ex eorum argumento seu materia desumpto, sint digesti. Tota ergo Indicis ratio in eo est, ut quae opera sive a Summis Pontificibus per litteras apostolicas, sive a romanis Congregationibus, et maxime a S. Indicis Congregatione fuerint ob quamcumque causam per speciale decretum tribus postremis saeculis prohibita, universis innotescant, ne vetitae eorum lectionis obli-
vio ulla unquam subrepat, aut ignorantia obtendatur.

Sed iam quae sit novae recognitionis ratio, et quo maxime a prioribus differat, paucis est declarandum.

Quoniam mens et consilium Summi Pontificis, Indicem diligentissime recognosci iubentis, fuit non solum antiquarum regularum severitatem temperare, easque aliquanto molliores efficere, sed totam rationem Indicis pro materna Ecclesiae benignitate accommodare temporis: in ipso quoque concinnando prohibitorum librorum elencho multiplex adhibitum est temperamentum, imminutusque numerus librorum adhuc in eo recensitorum. Atque id dignosces ex primo decreto generali, quo scilicet omnes libri ante annum MDC prohibiti, abhinc ex Indice expuncti declarantur, quamvis etiamnum eodem modo damnati habendi sint, quo olim damnati fuerunt, iis tamen exceptis qui per nova Decreta generalia permittuntur. Hinc damnatorum auctorum antehac in *prima classe* descriptorum,

quorum opera omnia prohibebantur, ea nunc opera, quae vel ex professo de religione non tractant, vel etsi de ea tractant, nihil tamen contra fidem continent, permissa sunt, nisi forte aliquo decreto generali aut speciali deprehendantur prohibita. Atque hanc mitigationem ad eum etiam casum merito extendas, quo scriptoris alicuius acatholici *opera omnia* expresse in Indice prohibentur. Nimirum haec prohibitio ad eos libros in posterum non pertinebit, qui, aut nullo modo, aut obiter tantum fidei veritates attingunt, et nullo decreto generali aut speciali fuerunt notati. Quapropter pristina illa distinctio inter « Opera omnia » simpliciter, et « Opera omnia de religione tractantia » tanquam supervacanea amandari potuit. Quoties enim auctoris alicuius scripta omnia prohibentur, ea tantum opera intelliguntur, quae aut de religione agunt, aut etsi de ea non agunt, decreto tamen aliquo generali aut speciali proscripta sunt.

Libros etiam quosdam, nec ita paucos, ex Indice expungere libuit, qui, quamvis aliquo defectu laborent, vel nonnulla corruptela infecti sint, sermonis tamen elegantia, vel copia eruditionis, vel documentorum utilissimo apparatu prae multis insignes reputantur, ita ut eorum errores vel alia vitia non mediocri utilitate compensari videantur.

Delere praeterea placuit non pauca opera quae de B. Virginis immaculata conceptione recte quidem, sed intemperantius, vel cum adversariorum nonnulla offensa tractant.

Item complura, in quibus controversiae domesticae et lites privatae inter diversas personas aut coetus vigentes, acriori quam decet modo, caritatis quidem dispendio, veritatis autem vix ullo incremento agitabantur; — item quaedam, quae neque defectus doctrinae, neque violatio caritatis, sed auctoris pervicacia, silentium pro sopiendis privatis disceptationibus publice

indictum non servantis; prohibitione digna reddidit. Huiusmodi controversiis extinctis et silentii praecepto iam dudum oblitterato, dimitti hi libelli poterant.

Cum praeterea libri quidam ceterum innocui in Indicem relati essent eo quod officiola et litanias Ecclesiae haud probatas, et contra ipsius prohibitionem editas continerent, et hos expungere placuit, quia locorum Ordinariis hodie facultas facta est permittendi, ut huiusmodi litaniae et preces, pro privato dumtaxat fidelium usu, publicentur.

Retenta insuper non sunt opuscula quaedam levia, insulsa, superstitiosa, indulgentias falsas et apocryphas iactitantia. Hae enim superstitiones ac neniae satis exclusae sunt Decretis generalibus sub nn. 12, 13, 16 et 17; et ad eliminandas apocryphas indulgentias praesto sunt omnibus « Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae », edita iussu et auctoritate Summi Pontificis, necnon Decretum « de regulis seu normis ad dignoscendas veras indulgentias ab apocryphis », ab eadem S. Congregatione die 10 augusti 1899 editum.

Accidit non raro, ut in Indicem referrentur exiguae molis, aut paucorum quandoque foliorum opuscula, quae, quamvis plena veneni et periculi essent, tamen currente tempore quasi vento ablata sunt, ita ut iam vix, aut ne vix quidem reperiri possint. Etiam ista in novum Indicem relata non fuerunt. — Quibus accensentur omnia illa opuscula plerumque ascetica, quae ex appendicibus Indicis Innocentii XI et Indicis Clementis XI in ipsum Indicem deducta fuerant. — Theses porro, quae ad disputandum in academiis publice proponebantur, quamvis ab erroribus immunes non sint, et quum primum evulgabantur, iure meritoque in Indicem insertae fuerint, omit-

tendae et ipsae videbantur, eo vel magis quia plerasque earum iam dudum oblivio delevit. – Ea autem scripta prohibita quae, quantumvis parvae sint molis, qualemcumque sibi partem vindicant in historica doctrinae theologicae et catholicae explicatione temporum cursu peracta, hanc ipsam ob causam in Indice retenta sunt.

Amandata insuper fuerunt omnia ea opera, quae solis Magistri S. Palatii edictis, saeculo decimo septimo adolescente, prohibita fuerunt; – praeterea illa de quibus ipsa S. Congregatio Indicis quandoque decrevit, omitti posse aut debere in proximo decreto; – necnon illae antiquae collectiones declarationum, decisionum, interpretationum S. Congregationis Concilii, quas haec eadem S. Congregatio decreto diei 29 apr. 1621 proscripserat. Quamvis enim decreta in his collectionibus relata, eo solo quod in earum aliqua inveniantur, authentica habenda non sint, tamen ipsa collectanea hodie utilitate non carere existimatum est. Ceterum de huius generis collectaneis imposterum faciendis satis provisum est n. 33 Decretorum generalium.

Contigit aliquando in Indicem referri primum aut priora volumina alicuius operis, cuius posteriora illud decretum prohibitionis in lucem publicam secuta sunt; – aut proscribi libellos periodicos qui postea identidem continuati fuerunt; – item omnia opera prohiberi alicuius scriptoris, qui post emanatum tale decretum alia opera edidit. In omnibus his casibus volumina vel libelli vel opera post ultimum decretum speciale evulgata, quamvis decreto illo speciali non comprehendantur, tamen suspecta habentur, et in decreti alicuius ex generalibus prohibitionem incidere merito praesumuntur, nisi forte de auctoris resipiscentia constet.

Reliquum est, ut quo expeditior sit Indicis usus, modus in eo concinnando librisque describendis servatus, paucis indicetur.

Ut editio haec Leonina praecedentibus emendatior evaderet, utque corruptelae eliminarentur omnes, quae tot annorum cursu in tot editiones, privata etiam quandoque auctoritate factas, irrepserant, diligenter laboratum est, pervestigatum tabulariis S. Congregationis Indicis ac romanae et universalis Inquisitionis, tum bibliothecis sive Urbis sive exteris.

Libri quorum auctores in ipso titulo sese manifestarunt, sub eorum cognominibus ordine alphabetico referuntur, subiunctis, ubicunque licuit, eorundem etiam nominibus. Haec nomina semper integra descripta fuerunt, ne si una alterave ex syllabis truncaretur, cum aliis similibus possent confundi. Nominibus veris aequiparata fuerunt nomina ficta seu ementita in titulo expressa.

Nomina italica, quibus praemittuntur syllabae De, Del, Di etc., quae partem nominis constituere videntur, in hocce catalogo semper incipiunt ab illa syllaba (ex. gr. De Luca, Degli Albizzi, Del Buono, Di Chiara). – Idem modus servatus est in nominibus flandricis, compositis cum syllabis Van, Van den etc. (ex. gr. Van Espen, Van de Velden). – Eandem quoque regulam servatam reperies in nominibus gallicis incipientibus a syllabis Des, Du, La, Le (ex. gr. Des Vœux, Du Plessis, La Combe, Le Courayer), necnon in iis nominibus, quibus praemittitur syllaba Saint vel Sainte (v. gr. Saint-Acheul, Sainte-Foy); omnia autem nomina quae incipiunt a duabus syllabis De la, sub La descripta fuerunt postposita syllaba De (ex. gr. La Fontaine, Jean de). Sola igitur syllaba De nominibus gallicis semper subiuncta fuit, iis tamen nominibus

exceptis quae a vocali exordiuntur, vel ab alia littera, quae cum proposito De, elisa huiusce littera e, confunditur: ista enim nomina eo modo scripta fuere, quo voce proferri solent (ex. gr. D'Alembert, D'Holbach). – Etiam nomina composita Religiosorum eo ordine scriptis referenda videbantur, quo voce proferuntur (ex. gr. Henricus a S. Ignatio; Cherubin de Sainte-Marie). – Nomina composita hispanica discerpta nunquam fuerunt; hinc leges: Exea y Talayero; Salgado de Somoza etc. – In nominibus autem anglicis transcribendis, semper ultimum, quippe quod familiam denotat, praemissum fuit, ex. gr. Mill, John Stuart; Maurice, Frederic Denison.

Nominibus nunquam adiuncti fuerunt tituli conditionis vel dignitatis vel artis, quibus scriptores insigniti erant, nisi huiusmodi tituli partem ipsius appellationis constituere, aut ad discernendam scriptoris personam requiri videantur.

In scribendis litteris I (vocali) et J (consonante), secuti Romanos, distinctionem non fecimus in titulis latinis, fecimus autem in aliis linguis. Ne vero ex hac scribendi diversitate, quae usuenit antiquos inter et recentiores, confusio oriretur, uno ordine alphabetico utramque litteram complexi sumus.

Quoties plura opera unius eiusdemque auctoris afferenda sunt, ordine chronologico decretorum quibus prohibita fuerunt, recensentur; ea autem opera eiusdem auctoris, quae uno eodemque decreto proscripta fuerunt, ordine alphabetico, quem primum substantivum in titulo indicat, afferuntur.

Omnes tituli librorum anonymorum incipiunt a primo substantivo, et quidem, si agatur de titulis latinis, a primo substantivo in casu nominativo. Quodsi fortasse huic substantivo praemittatur vocabulum in alio casu grammaticali positum, quo ea ferme indicantur quae in libro contenta sunt, – id quod prae-

cipue accidit in verbis geographicis et nominibus – tunc in transcribendo titulo hoc vocabulum omnibus aliis praepositum fuit. Exempla habes sub verbis: Clementis VIII; Hiberniae; Romae; Historiae ecclesiasticae. Omnia autem ea, quae vocabulum sub quo liber affertur, in titulo praecedunt, in parenthesi illi subiunguntur, ex. gr. Epistola (H. V. P. ad B**** de nuperis Angliae motibus).

Quoties plures libri anonymi ab eodem vocabulo exordiuntur, ii inter se ita ordinati sunt, ut etiam substantiva in titulo proxime sequentia ordine alphabetico disponentur, ut videre est sub verbo saepius repetito: Apologie, in vocabulis quae illud verbum in titulis ab eo incipientibus proxime sequuntur (casuiste, défense, dévots, Iansenius, jugements, lettres, synode). Si autem illud idem vocabulum pluries repetitum diversis adiectivis componatur, haec adiectiva inter se alphabetico ordine disponuntur (ex. gr. Examen: critico, impartial, important). Illi autem libri, quorum tituli longiores vel complicatiores sunt quam qui talem ordinem admittant, secundum chronologicum ordinem decretorum quibus fuerunt proscripti, recensentur. Hoc praecipue observatum est in libellis, qui inscribuntur: Lettre et Mémoire. Similem ordinem observare existimatum est in iis libris, in quorum titulis indicatio temporis exprimitur, velut in iis qui inscribuntur: Arrêt.

Ubi cumque de vero auctore alicuius libri sive anonymi, sive pseudonymi constat, eius nomen post decretum prohibitionis subnexum reperies, atque idem in ordine alphabetico suo loco repetitum, et quidem uncis inclusum, quo indicetur, hoc nomen non legi in ipso titulo. Ad illud nomen lector refertur per litteram v. (= vide). Quodsi liber ipse lingua latina conscriptus est, etiam nomen auctoris in forma latina indicatum est, sin-

minus, in forma illius linguae, qua librum scripsit. Hanc nominis additionem nullam sibi vim legis vindicare, sed soli utilitati et commodo lectoris servire, ipse lector ultro dignoscet.

Si in titulo alicuius libri alia nomina (praeter nomen auctoris) occurrunt, illa tunc solum, suis quaeque locis, in Indice repetuntur, cum illi quibus hoc nomen est, libro principali quaedam ex propriis addiderunt, quae et ipsa reprehensionem meruisse videntur (ex. gr. *Abudacnus*, *Historia Jacobitarum...* cum annotationibus Ioannis Nicolai, vulgavit Sigebertus Havercampus). Quo in casu tale nomen in ipso titulo characteribus maiori spatio distantibus transcriptum est. Nomen autem eorum, qui alterius librum publici tantum iuris fecerunt, quin ex propriis quidquam addiderint, neque suis locis repetenda, neque in titulo ipsius libri characteribus peculiaribus distinguenda esse videbantur. Quodsi autem ea quae corruptor aliquis libro ceteroquin bono addidit, unica causa fuerunt, cur prohiberetur, hoc, ne in detrimentum auctoris innocentis cedat, semper, nisi per se sit manifestum, expresse adnotatur.

Cum commentarii, qui in athenaeis a contendentibus lauream publicae disputationi interdum subiiciebantur, fere semper ipsos praesides disputationum auctores habeant, sub eorum quoque nominibus in Indice afferuntur; iuvenes autem ad laureae honorem aspirantes tunc solum sub proprio nomine recensentur (hoc ipso nomine in titulo peculiaribus characteribus distincto), cum innotuit, ab ipsis commentarios illos, de quibus disputatio erat, fuisse conscriptos.

Interpretationibus seu versionibus hucusque in Indice descriptis, ubicumque licuit, tituli librorum quos versio exprimebat, substituti fuerunt, nisi forte constaret, rationem prohibitionis

fuisse corruptelam in versionem inductam. A translationibus autem recensendis abstinuimus eo quod n. 45. Decretorum generalium libri ab apostolica Sede damnati, prohibiti declarantur in quodcumque vertantur idioma. Exceptiones ab hac regula in iis solum casibus factae sunt, in quibus S. Congregatio peculiari decreto praeter opus ipsum etiam aliquam eius translationem proscripsit, et tunc lector opus ipsum adire per signum *v.* titulo versionis subnexum monetur. A vertendis operum titulis in linguam latinam, prout in praecedentibus Indicibus usu venerat, abstinere placuit, cum, utrum liber aliquis prohibitus sit, eorum praecipue intersit, qui eum legere possent. Quodsi auctor ipse librum a se conscriptum in diversis simul linguis ediderit, ita ut vix dici possit, unam editionem esse alterius interpretationem, singulae editiones tanquam aequae principales in Indicem relatae fuerunt.

Aliquando, etsi rarius, locus et annus impressionis alicuius libri ideo notandus erat, quo ab aliis similis tituli aut argumenti discerneretur. Ceterum animadvertat lector quoties ex diversis alicuius operis editionibus non omnes prohibitae sunt, id semper expressis verbis enuntiari.

In exscribendis titulis ipsos auctores fideliter secuti sumus; ita ut, si auctor nomen suum *Barptolomaeus* scripsit, et nos illud eodem modo transcripserimus, et si ipse in titulo *Libya*, vel *phylosophia*, vel *christiano*, vel *système* et similia scripsit, nos illud haud corrigendum duxerimus. Quare nemo praesentem librum ex regulis logicae et grammaticae corrigere aut corripere potest, sed ex solis ipsorum librorum inspectis titulis. Ab hac regula, exprimendi sc. in omnibus rationem scribendi ipsorum auctorum, in solis accentibus gallicae linguae discedere placuit. Cum enim in veteri gallica vocabula scribendi

more nulla fere teneatur certa regula quod ad signa sonorum seu accentuum attinet, nos, ne ubique errare videremur, hodiernum scribendi accentus modum adhibuimus. Similiter secuti sumus modum qui nunc in Gallia invaluit, iungendi in hac lingua diversa auctorum nomina signo lineolae, veluti Pierre-Paul.

Ubicunque additio aliqua in exscribendo titulo facienda esse videbatur, eam litteris italicis seu cursivis quas vocant, scribendam curavimus atque uncis inclusimus. Quidquid igitur tali modo expressum viderit lector, hoc in ipso titulo non ita legi sciat. Quare etiam, quoties auctoris alicuius scripta universa prohibita sunt, neque existit editio omnia simul complectens, cuius titulus transcribi potuisset, litteris italicis eius *opera omnia* prohibita esse indicatur.

Omnibus decretis, etiam iis, quae a S. Officio romanae et universalis Inquisitionis emanarunt, quantum licuit, addidimus diem et annum, quibus ab ipsa S. Congregatione data sunt, non autem, ut antea fieri solebat, diem et annum quibus typis exarata divulgabantur.

Si qui libri ab alia S. Congregatione quam ab ea, quae ab Indice nomen habet, prohibiti fuerunt, hoc in singulis casibus exprimitur, ita ut omnia decreta, quae nullam appositionem secum ferunt, intelligantur esse S. Congregationis Indicis.

Contigit aliquando, ut auctor, cuius opera omnia proscripta inveniuntur, libros etiam tecto aut ementito nomine ediderit, qui specialibus decretis fuerunt damnati. Horum ne proscriptio quemquam fugeret, eorum titulos singulos adnotare visum est.

Si quando aliis decretis singulares alicuius scriptoris libri,

alio vero deinde decreto eiusdem opera omnia prohibita fuerunt, singulos librorum de re theologica agentium aut bonos mores offendentium titulos non expressimus, decretorum tamen omnium dies et annos adnotavimus.

Nonnullos libros signo +, alios asterisco * distinximus, quo facilius lector prima fronte deprehendat, quinam libri solemniori ratione per apostolicas litteras, et quinam non absolute sed adiecta clausula *donec corrigantur* fuerint proscripti. Haec autem distinctio modum tantum, non autem effectum prohibitionis respicit. Quenam poenae in legentes vel retinentes libros quocunque modo in Indicem relatos sancitae sint, lector ex Constitutionis « Officiorum ac munerum » numeris 47, 48, 49 discere potest.

FR. THOMAS ESSER, Ord. Praed.
S. Indicis Congregationi
a secretis.